Quelle: https://manuscripta.at/?ID=5026
Copyright: CC BY 4.0 <img src="https://manuscripta.at/styles/icon_cc_by.png">



Iohannes

276

vero dicebat: quia ego sum. Di-
cebant ergo ei. Quomodo aperti sunt
tibi oculi. Respondit. Ille homo
qui dicitur ihesus luteum fecit: et
unxit oculos meos: et dixit mihi
vade ad natatorium siloe: et laua
et abi: et laui et vidi. Et dixerunt
ei ubi est ille. Ait. Nescio. Adducunt
eum ad pharisaeos qui caecus fuerat
erat autem sabbatum cum luteum fecit
ihesus: et aperuit oculos eius. Iterum
ergo interrogabat eum pharisaei quo
modo vidisset. Ille autem dixit eis. Lutum
mihi posuit: et laui et video. Di-
cebant ergo ex pharisaeis quidam
Non est hic homo a deo qui sabba-
tum non custodit. Alii autem dicebant
Quomodo potest homo peccator haec signa
facere. Et scisma erat inter eos. Dicunt
ergo caeco iterum. Tu quid dicis de eo
qui aperuit oculos tuos. Ille autem
dixit: quia propheta est. Non credide-
runt ergo iudaei de illo quia caecus
fuisset et vidisset: donec vocaue-
runt parentes eius qui viderat:
et interrogauerunt eos dicentes. Hic est
filius vester: quem vos dicitis quia
caecus natus est. Quomodo ergo
nunc videt. Responderunt eis parentes
eius: et dixerunt. Scimus
quia hic est filius noster: et quia
caecus natus est. Quomodo autem nunc
videat nescimus: aut quis eius
aperuit oculos nos nescimus. Ipse
eum interrogate. Etate habet: ipse
de se loquatur: hec dixerunt parentes
eius: quia timebant iudeos
iam enim conspirauerant iudei: ut
si quis eum confiteretur esse christum extra
synagogam fieret. Propterea parentes
eius dixerunt. quia etate habet.
ipsum interrogate. Vocauerunt ergo
iterum hominem. qui fuerat caecus: et
dixerunt ei. Da gloriam deo. Nos
scimus quia hic homo peccator est. Dixit ergo
eis ille. Si peccator est nescio. Unum so-
quia caecus cum essem modo video.
Dixerunt ergo illi. Quid fecit tibi
Quomodo aperuit tibi oculos. Respo-
dit eis. Dixi vobis iam: et audistis
quid iterum vultis audire. Numquid et
vos vultis discipuli eius fieri. Ma-
ledixerunt ergo ei: et dixerunt
Tu discipulus illius sis: nos autem
moysi discipuli sumus. Nos scimus
quia moysi loquitur deus. hunc
autem nescimus unde sit. Respondit
ille homo: et dixit eis. In hoc
enim mirabile est. quia vos nesci-
tis unde sit: et aperuit meos o-
culos. Scimus autem quia peccatores
deus non audit: sed si quis dei
cultor est. et voluntatem eius fecerit
hunc audit. A seculo non est au-
ditum: quia quis aperuit oculos
caeci nati. Nisi esset hic a deo: non
poterat facere quicquam. Respode-
runt: et dixerunt ei. In peccatis
natus es totus: et tu doces nos
Et eiecerunt eum foras. Audiuit ihs
quia eiecerunt eum foras: et cum
inuenisset eum dixit ei. Tu credis
in filium dei. Respondit ille et dixit:
Quis est domine ut credam in eum. Et di-
xit ei ihs. Et vidisti eum: et qui
loquitur tecum ipse est. At ille ait. Cre-
do domine. Et procidens adorauit eum
Et dixit ei ihesus. In iudicium ego
in hunc mundum veni: Ut qui non vi-
dent videant: et qui videntur caeci
fiant. Et audierunt quidam ex pha-
risaeis qui cum ipso erant: et dixe-
runt ei. Numquid et nos caeci sum.
Dixit eis ihesus. Si caeci essetis non
haberetis peccatum. Nunc autem dicitis
quia videmus: peccatum vestum manet

Amen amen
dico vobis: qui non intrat
per hostium in ouile sed ascen-
dit aliunde: ille fur est et latro. Qui
autem intrat per hostium. pastor est ouium
huic hostiarius aperit: et oues voce

mi Ihesu dicens nos qui non dicimus hoc est filium qui videtur non videntur dicunt non videntur est